ACHILLES

PROTOTRAGOEDIA

ANTONII DE LUSCHIS

AD FIDEM CODICIS SAECULI XIV.

IN BIBLIOTHECA VICETINA BERTHOLLIANA NUNCUPATA

ASSERVATI

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLIII.

SUMPTIBUS JO. A SCHLEDO

ACHILLES

ANTONII DE LUSCHIS DE VINCENTIA

TRAGOEDIA INCIPIT

HECUBA ET PARIS

HEC. O conjugales horridas Trojae faces,
Quas profuga conjux numine infausto tulit
Thalamos secutas regius puppes cruor
Cujus Pelasgas solvit? Immites Deos
Placare potuit caede virginea cohors
Argiva, ratibus mille suffecit caput?
Nunc Xanthus alto sanguine immixto fluens
Iliaca pulsat maria; purpureas vehit
Simois procellas caede, nec dudum labat
Fortuna belli. Victor Atrides premit
Moenia Deorum clara, quae Phoebus chely
Struxit canora; saevit armigera potens
Europa classe: quaelibet nostram lues
Affligit Asiam; vincimur bello Phryges.
Sed major Hecubam torquet infaustam dolor;
Nocturna non me, nec fovet lucis quies;

Hinc fortis Hector, mille quem metuunt rates
Adhuc jacentem, Graja qui solus fugans
Tot regna, curru celsus aurato stetit;
Auspicia Troilus Hectoris bello gerens
Achillis ense caesus; hic matris dolor;
Astus Ulyssis, Thetidis et claras fleo
Nimium latebras! Ilios periit decus,
Hectorea traxit membra Thessalici ducis
Extincta currus, pondere excelso rotae
Tremuere. Laceras vidimus gnati comas,
Emptumque Priamo corpus. En Hector sat est,
Millena cujus classis extimuit facem;
Sed sobolis altae Troilus clarum genus
Achillis ira jacuit, o dirum nefas!
Adeste, adeste, summe dominator poli,
Trisulca cujus tela jaculatur manus;
Numenque Phoebi, tuque qui pelagum regis
Neptune, quorum Troja munitu viret....
Quid, misera, luctu, questibus volvis diem?
Non damna fletus reparat; extincti jacent.
O segnis Hecuba, pateris ultrici manu
Carere natos? sceptra dum Priamus gerit
Inimica Danais, perage quod natus jubet.

PAR. Quid tacita volvit pectore ardenti parens?
Flammata vultus regiam frontem quatit;
Phoebigera virgo qualis impulsu Dei
Lacerata crines; qualis aut Maenas furens

Percussa Baccho, fronde pampinea comas
Impressa: fervet, auget atque iras dolor.
Regina, quis te versat amentem furor?
Quisve urget aestus? cohibe vesanum impetum.
Vicere nondum Dorici Trojam duces,
Sed sceptra Priamus munus Alcidae gerit.

HEC. O summa Juno conjugis soror tui,
Regina caeli; tuque, quam Phryges colunt.
Armigera Pallas, prosperum tandem mihi
Placate fessae numen; hoc testor Deas
Quibus negavit munus, Idaeas premens
Sedes cruentus arbiter notus sibi.
Phoebea nondum sparserat lampas diem,
Sed plaustra sicci volverant molem jugi,
Solusque claro lucifer stabat polo.
Exigua somni tenuit afflictam quies.
Ecce ima tellus fremuit et caecum chaos
Laxavit ora, fulgor invasit domum;
Tunc umbra juvenis patuit Acherontis vado
Emissa Priami, sponte non qualis trahens
Dardania secum castra, et ultrices manus
Gestare cupiens, ense sed sparso jacens
Cruore fusus, inquit: ignavi Phryges
Jacete segnes; Hecuba tu dormis parens;
Erramus umbrae, spernit ac nostros Charon
Gestare manes; nullus est natis locus;
Vagamur; Hector, Paridis ultricem petunt

Tuusque dextram Troilus. Dudum negas?
Remeabit ille, cujus Hectoreo graves
Sonuere currus pondere? Argolici feret
Partem triumphi? sospes ac victor suum
Natum reviset? orba quo defles tuos?
I, perage; Achilles decidat fratris manu.
Tunc horror artus alligat, sanguis gelu
Victusque torpet; misera sed natura sinu
Retinere volui; fugit amplexus celer.
Magnanime, Priami stirpe regali trahens
Nomen superbum, cujus ingentes, Paris,
Animos Atrides sensit, ac luget minor,
Te poscit Hector, ripa quos tristis tenet
Errante gressu, ac Troilus; natis quidem
Puppis negatur, negligit fratres Charon
Adhuc inultos, vindicem dextram petunt.

PAR. Regina Phrygium, mentis est error vagas
Umbras putare, dextra si vindex abest.
Mortale quidquid corpus ad letum trahit,
Haud parcit animae; vita cum refugit nihil
Est umbra; miseros ignifer postquam rogus
Comsumpsit ardens, spiritus moritur simul.
Quid caesa tauri colla ferventi rigant
Cruore tumulos? vana nos movet fides
Placare nullo credimus vivens loco.
At sola superest fama virtutis; meos
Haec ipsa fratres servat; hac vivet diu

Animosus Hector, sicca dum fluctu carens
Lucebit Ursa, pulchra dum Phoebum dies
Et nox sororem sentiet, mundi vices
Dum volvet annus. Tantali lusor latex
Pomigeraque arbor; Sisyphum lapis gravans;
Celerique cursu raptus Ixion rotae;
Alesque Titii jecore fecundo furens;
Et caeca Ditis regia, ac pinum manu
Furibunda gestans angue mortifero cohors;
Tricepsque custos Tartari; Charon senex;
Inanis iste rumor, hoc certum puta:
Umbrisque vita corpore extincto datur;
Aut laeta campos quaerit elysios statim
Quorum reverti clara prosperitas vetat,
Aut stygia quaerit protinus tristis loca,
Quicumque manes vidit infaustos semel,
Ditisque pavido regna tentavit pede,
Superna nunquam tetigit. Hoc nulli vacat
Exire regno. Generis humani capax
Vorago prohibet, demit ac nostras palus
Lethea curas; magna sed fateor, parens,
Nati voluntas Troili visum putat;
Imago somni mentis affectus capit.
Compesce diros impetus, temet doma.

HEC. Ignave miles, cujus est tantum stupro
Impensa virtus, raptor alieni tori,
Quas Ithacus ultra posset, aut doli comes

Perferre fraudes? Fingis hoc? Magna est quidem
Generosa virtus Paridis. Haud Hecubae satis.
Cum currus ingens Thessalus magnum trahens,
Lustraret arces inclytas Phoebi lyra
Hectora; jacebas conjugis raptae sinu,
Pudenda proles. Venere tu solum potens
Bellum recusas. Dedecus tantae domus
Fraterna non te funera, aut matris preces
Hecubae movebunt? pateris erranti gradu
Fratres vagari? Degener patre inclyto,
Indigne Priamo, nulla te pietas movet?
Quisnam peremptor Hectoris magni fuit,
Nisi taeda Paridis? Causa Danaidum est bona.
Ubi causa justa deficit, virtus perit.
Ego non aperto tela quae marte ingeras,
Sed fraude Achillem perime.

PAR. Qua tantum ducem?

HEC. Amore claro nobilis Polixenes
Furibundus ardet, virginem toro petit;
Promissa thalami jura fraudabunt virum,
Fictusque Priami templa continget gener
Phoebea, inermis gente desertus sua
Cohorte primum cinctus armigera latus
Limen tenebis, hostis in templo cadet,
Cecidere cujus Troilus et Hector manu.

PAR. Licet ira Achillis morte satiari queat,
Odiumque nostrae pestilens domus ruat

Pandis sagitta; fine quo cernas tamen?
Fortuna semper impetu primo favet;
Extrema virtus cernere est; video, intueor
Quicquid sequitur. Comprime ardentis tuae
Mentis furores; bella si juvant, cadat,
Patret ruina Dardanae gentis cruor;
Salvanda sed si Troja te magis juvat,
Soror est jugali Thessalo Polixena
Tradenda thalamo: fictus haud templum gener,
Sed verus intret, sceptra qui potens gerit,
Thessalica cujus arva sub regno jacent,
Parentis altum sanguine extendit genus,
Pelagique Divae. Magna nos clades premet,
Argolica semper bella, Divorum furor,
Hostilis ardor, fraude si ducem obruas.
Si parcis hosti, sancta si pietas placet;
Tibi ipsa parcis, patriae et Priamo simul.
Servare patriam quaelibet laudat fides:
Natam Pelasgae rector Atrides suam
Gentis dicavit; crimen extinxit cruor
In sacra missus jura qui sacrum fuit.
Sed nata sospes publicam genti dabit
Nostrae salutem, sanguinis stringet vias
Trojae fluentis. Hostis Alcides tenet
Junonis Hebem conjugem victor polo.
Parcendo parcis: talis hymenaeus potest
Firmare Trojam.

HEC. Conjuge oppressam tua!
Thalamos Achillis patiar impleri meo
Inulta foetu? Virgo pollutas manus
Fratrum cruore sordido tactu feret?
Parentis utero fata voluissent tuos
Sine luce fusos, nata, si tales Deus
Toros ministrat ante sublimes reget
Noctivaga currus numinis clari soror
Triviaeque Phoebus; fervido seges mari
Nascetur; Arctos pontus asperget, rates
Fessas Charybdis ore placato trahet
Et Scylla; mites sentient agnae lupos,
Tigres juvenci; flamma conjunget mari;
Occasus orbi lucidum mittet diem,
Ortusque merget; Xanthus ad fontem retro
Labetur unda, sanguinem varium gerens;
Fidemque caeli Phoebus agnoscet; manus
Perfracta junget fila; quam toro sinam
Jungi Pelasgo sanguinem clarae domus.
I, nate Priami, callidam caedem extrue.

PAR. Seditio regem non decet.

HEC. Quicquid licet.

PAR. Servare regis maxima est virtus fidem.

HEC. Fides ab alto regio distat lare.

PAR. Eruere patriam regis est culpa impii.

HEC. Tyrannus hostem vilis haud ultus sinet.

PAR. Hosti salutem denegans tibi negas.

Hec. Non dura mors est, odia quae secum trahit.
Cur nunc moraris?

Par. Fraudis occultae pudet.

Hec. Caedem occupato sola permittit dies.

Par. Si tantus ardor pectus inflammat, parens,
Peribit hostis. Victima ut templis cadet
Jam jam satelles tale conjugium duci
Referet Pelasgo.

Hec. Templa confestim petet.

CHORUS TROJANORUM

O magne Tonans, ardua cujus
Dextera fulmen quatit, aethereis
Nimbis actum, genitor Superum
Hominumque simul, cujus numen
Elementa gravi compressa chaos
Solvit, proprio jussitque loco
Sistere, quicquid prius humanum
Orbem presserat, se tulit arces
Ignis in altas; vicinus ei
Stetit angustas, aerque, vias
Subiturus humum cinxit pelagus.
Nunc Dardanias respice gentes
Tandem fessas. Millena para
Fulmina. Puppis Trojana premens
Ardeat omnis. Concussa manu
Mille carinas rutilante Jovis
Feriant Danaas fulmina: quicquid
Immune fuit facis Hectoreae,
Igne Tonantis majore cadat.
Tuque, o caeli Regina fave,
Inclyta Juno, cujus thalamos
Jupiter intrat. Tu Gorgoneis

Armata veni Pallasque minis.
Vel mitte tuum nimbo aurifero
Fratrem genitum, sic Argolicos
Horrore duces pressos retine,
Semper in arvis qui caede madent.
Et tu nitidum, radiate, diem
Qui lucifero revehis curru,
Fessusque diem mergis in undas
Ades, o Titan, defende lyrae
Moenia placido structa canore.
Sorte secunda, Neptune, potens
Passus Grajas per regna rates
Mille, Iliacos quaesisse tua
Muros; cur non infesta petens
Moenia Divum puppis, tumido
Ponto jacuit lacerata? tamen
Nos auxilio, quos tua cingit
Zonaque Phoebi, defende tuo,
Licet hoc tarde, Neptune, feras.
Jam jam cecidit robur Phrygiis
Gentibus Hector, Trojaeque decus
Millena facem cujus timuit
Argiva ratis. Quid Troile te
Inclyte referam, viresque tuas?
Post mala, questus verberat aures.
Soror o clarae lucisque Dei,
Insula jacuit firmata quibus

Partumque tulit. Te virgineus
Placare cruor laesam potuit
Crimine cervae? Si tota luat
Graecia poenas, vix extinguet
Scelus exiguo sanguine missum.
O Diva, famae moenia serva,
Fratrisque tui veneranda chely.
Tu dive potens, qui bella regis,
Vota Iliacae suscipe gentis.
Rege Dardanias marte secundo
Acies, quae tuum Trojam precatur
Numen; Achivas sterne catervas.
Sed nunc sacris placanda Deûm
Numina nostris, Superumque colat
Quaelibet aras Trojana cohors.

ACHILLES ET SATELLES

Ach. Regem Deorum maximum quisquis putat
Caeli tonantem fulmine, et sceptro manus
Armata cujus orbe concusso furit,
Errore mentis fallitur quidem invio;
Est namque major falsa, quem mundi fides
Vocat minorem. Tela qui gestat puer
Virtute varia, celsus hic alis volat
Quacumque Titan lucido curru nitet.
Quam saepe novit Jupiter vires Dei!
Vicere fulmen tela puerili manu
Librata, quamvis impetu tanto furens
Descendat, urat, contulit quicquid parens.
Hic tela mittit, vulnus inclusum latet,
Tectusque membra pestilens ignis vorat:
Dominatur orbi pariter et caelo potens.
Testorque Achilles numinis tanti fidem,
Viresque teli, cujus auratum gerit
Arundo pondus. Ecce victorem diu
Me Troja sentit, labitur Xanthus meo
Mutatus ense: gentis Argolicae pavor

Excelsus Hector fratre permixto jacet;
Obscura caede Memnonis fulsit parens;
Pietate liber Telephus nostram tulit
Iram negando Mysiae nobis iter.
Tamen Cupido superat. O quantum meo
Amoris iste pectori affigit puer!
O nata Priami, causa bellorum tibi
Jam cedet Helena, vultibus claris nitens.
O spes Achillis, quando te nurum ciet
Thetis! jugali Thessalo junctam toro
Vocabit! una gentibus pacem dabis.
Uterque voto supplici Divos rogat
Hoc populus. At nunc propius advexit gradum
Paridis satelles, nostra qui signa appetit
Hymenaea laetum voce sublimi canens.

SAT. O clara proles Thetidis, o Phrygum timor,
Utrasque fama cujus invasit domos
Generosa Phoebi, classis Argivae decus,
Tibi Troja supplex nobiles tendit manus,
Ensis cruore cujus irrubuit tuus
Humilique pacem quaeritat voto ducem,
Ut saeva caedis jaceat hic tandem sitis:
Satis hausit ira sanguinis, ferro manet
Spoliata vestro Troja. Te generum vocant
Priamus conjuxque Hecuba, tum regno parant
Dotare natam. Quilibet vetus furor
Pellatur animo. Templa te Phoebi manent;

Regalis illic turba conjugium parat
Firmare sacrum. Perge. Cur dubitas diu?

ACH. Optata quamvis fulserit nobis dies,
Et vota placidi sumpserint Divi, tamen
Non conjugale tempus hoc fieri vetat.
Ut flamma pelago, marte sic distant faces.

SAT. Erras. Jugalem tempus hoc taedam petit,
Cum saevus urbes excitat belli furor,
Strictique fervor ensis in gentes ruit,
Tunc pacis opus est. Bella si semper gerat
Mortalis ardor, ulla nec crescat venus,
Peribit orbis. Pastor amittit gregem
Qui semper aris victimas caedit sacris,
Pecusque nullum reparat; extingui solet
Vetus ira taedis. Unicum Priamus gerit
Solamen animo, mille quem tantum rates
Tulere generum. Fateor hoc regem fovet
Senio gravatum debili, afflictum malis.
Quod magnus Hector, frater atque audax nimis
Jacuere, thalamo pensat hoc. Tantum dabis
Quantum abstulisti. Priamus Alcidae capit
Exempla; quamvis unico distent loco,
Victo pepercit Hercules. Priamus duci
Si laesus iram ponit, hunc magis decet,
Qui laesit arma. Regna submittet tuo
Regenda sceptro, prole nec vili genus
Angustus hausit, genere sed claro nitet.

I. Thetide dignam conjugem nurum pete.
Quicumque dona negligit semel Deûm,
Mox vota surdis auribus caelo dabit.

Ach. Odiosa cunctis facere sibi soli est nefas.

Sat. Danais ne?

Ach. Danais.

Sat. Longa quos belli mora
Patrio carentes detinet fessos lare,
Saevus juvabit bellicus semper labor?
Credas precari caelites pacem Deos;
Sed multa pectore regius celat timor.
Tali salutem fata posuerunt toro
Utriusque populi, sanguis hoc sistet fluens.
Optata perage, Numinum praestat favor.

Ach. O quam libens fortuna seu caeli favor
Parem superno vexit Aeacidem Jovi!
Quid marte gentes obrutas nostro loquar?
Mihi cessit omnis, signa cum cantus mea
Animosa cecinit. Sola non timuit cohors
Peritura ferro, flebiles vidit Deus
Celsus canore nobilis muros suo.
Quis magnus Hector obstit bello impotens?
Timuere matres inclytum Thetidis genus,
Solusque Achillis obruit cunctos pavor,
Mavorsque tantum bellicae sortis potens
Nec favit acie. Quicquid optavi, meo
Fortuna fato junxit. En Divi parant

Sociare nostros genere regali toros.
Super astra gradior, Caelitum sedes premo,
Quos nostra semper cura sollicitos tenet.
Si mihi tonantum conjugem natus daret,
Thalamosque fratris negligat Juno meis,
Sortisque judex praemium reddat suae
Et marte tuto; quaelibet Polixena
Tibi cedet uxor; propero, jam morae piget.

CHORUS GRAECORUM

Armatus gemina fervet arundine
Vulcano genitus, cui Venus est parens.
Inmitis puer hic pervolat ocyor,
Excusso manibus fulmine patrui,
Effusasque sagittas agilis movet
Qua nascens, rutila fronte, patet dies,
Et lucem pelagus qua bibit ultimam,
Et quaecumque solum cingitur aequore;
Affigit penitus vulnera certior,
Quam fallax profugi dextera cuspide
Parthi. Sive fugas fingere praeparet,
Seu recte feriat, viscera pestilens
Ignis tota vorat, nullaque vulneri
Frons est clara, latet saevior aetnaeo
Inflammans miseros sed calor horrido.
Hoc fervent juvenes; hoc trepidos senes
Rursus flore comas cingere concitat;
Ignotamque jubet quaerere virgines
Matrem. Quid Superos? Liber avus nec est.
Heu passum quoties tela Cupidinis
Falsum terra Jovem sensit! in aureo
Nimbo fluxit amans. Corpore candidus

Cygnus plumifero tunc petiit toros,
Cum nobis genuit bellaque Dardanis,
Et taurus spolii nomina litoris
Fratris regna secans pectore tradidit.
Calisto posuit fulmina te petens,
Et vultus dominae mitior induit.
Prolem, nube latet, dum tenet Inachi,
Alcidem genuit dum jubet hesperum
Hoc nomen solito sumere longius.
Junonis thalamos linquere Jupiter
Est passus, Semelem dum petit inclytam.
Cujus vota gemit, fulmine languido
Invadens uterum parte sui gravem,
Ac proles caluit tigribus imperans
Thesei dum spolium curribus attulit
Qui gentes domuit, qua prior est dies,
Delphinesque dedit primus in aequora.
Phoebus quae pueri vulnera dirigant
Novit tela. Soror noctivagos regens
Currus incaluit. Figere caelites
Cognatos patitur, nullaque gens vacat.
Quem duplex genuit nox, ferus Hercules
Implevit calathos stamine conjugis,
Et clavam posuit, qua domuit feras,
Dum fusos tenuit. Quid referam ducem,
Cujus Thessalicum Troja dolet manu?
Qui solus populi marte vicem tenet,

Cujus fama nitens transit ad ultimas
Gentes, Oceanus quas lavat, et decus
Mille est Argolicis puppibus inclytum;
Et qui foemineis cultibus abditus,
Est fassus tumidos corporis impetus;
Armorum posuit jura toros petens.

HECUBA, PRIAMUS ET CASSANDRA

HEC. Superba tandem concidit Trojae lues.
Meliore fato Caelites nostros vident
Fessos penates. Quicquid adversum obstitit
Clarumque fudit sanguinem, Paridis manu
Jacet interemptum; templa testantur Dei.
Ite, ite, nati, puppe funesta senex
Acherontis aulam pandet. En vobis iter
Quis nunc negabit?.... Misera quod feci nefas?
Extrema natos fata posuerant loco
Tuto, carentes hoste. Felicem putans
Rupi quietem; forsitan bellum intulit
Ad regna Achilles tertiae sortis potens.
Natum trementi forsitan curru trahit;
Cererisque generum terret et saevum canem
Serpente cujus terga villosa obstrepunt.
Quid misera feci? certa quid Paridis manus?
Magis ipsa videor crimine infausto nocens;
Auctor cruenti sceleris in culpam incidit,
Adversa sed cur bella natorum putas?
Quicumque geminam mente perversat vicem,

Pejora semper cogitat. Natos puta
Vicisse dudum Thessali manes ducis,
Suprema si post fata et extremum diem
Servantur odia. Lenta cur Priamum diu
Latere patior hostis infandi necem?
Gaudere gentes Ilii tandem decet.

PRIAM. Magnanima conjux, fronte quid laeta geris?
Hectorea postquam membra consumpsit rogus,
Emptosque cineres urna compressit brevis,
Gaudente vultu nulla te vidit dies.
Hector jacentes erigit quis nunc Phryges?

HEC. Mihi restituti, latera praecingunt mea
Nati, parentem turba consequitur gregis
Veneranda nostri: mitior Ditis manus
Leviore pretio tradidit matri Hectorem.

PRIAM. Haec ipsa laetam causa te demens facit?
Miseranda conjux, nullus est Hector tibi.
Horribilius opus Atropos vertens sua
Dextra impia, sororum opere sub cujus manet
Potentia gens tota, quae Jovem trahit,
Perfracta nunquam stamina adjungit semel.

HEC. Nunc si ipse tacitam qualis Alcides domum
Aperiret Hector viribus vastis furens,
Theseique frater sumeret tractus locum,
Vix tanta menti gaudia afflictae daret
Fortuna quantis nostra praelucens viret.

PRIAM. Effare quicquid pectore hoc laeto feras,

Absit petitis longa sed conjux mora,
Morata quoniam dona vilescunt diu.

Hec. Pyrrhus nepotis fata comitatur tui,
Thetisque nostri socia moeroris dolet.

Priam. Qua peste Achilles, ense ne an fluctu jacet?
Vindex ne fulmen stravit horrendum caput?

Hec. Thalamos petebat virginis Polixenes:
Socer esse Priami concidit ferro putans.

Priam. Obruere quisnam potuit? audaci manu
Ferrumque in hostem mittere?

Hec. Hunc certo Paris
Invasit arcu: vulnere haud uno jacet.

Priam. I, gener Achilles, inferum sedes doce
Celebrare taedas; nempe cognato Hectori
Ostende thalamos. Regios quisnam furens
Intrat penates? lauriger vultus patet;
Cassandra laceras, fronte turbata, comas
Insana gestat, dubia quo gressus ferat
Recursat amens: qualis amissam petens
Prolem gementi cursitat vultu fera.

Cass. Quis me ad penates concitam furor trahit?
Ad quod vocamur carmen? aut quonam meum
Mittam furorem? Phoebus ad matrem vocat.
Non fugere poteris Thessalas, nate, faces.
Retenta poscet classis. Hoc hostis tamen
Negabit hosti. Conjugem conjux bibet.
In te redibit ira, dum fratrem petes.

Hec. Jam fessa cecidit, pectus effusum tremit;
Huc ferte gressus, juxta famularis cohors
Relevate moestam. Gelidus hanc foveat latex
Per ora fusus. Sensit, en paulo movet
Artus, revixit.

Cass. Quis meos sensus furor,
O Phoebe, rursus concitat? cerno nefas
Quodnam cruentum? Munus acceptum Dei
Et casta doleo. Stimulat hunc magis dolor,
Quicumque fati praescius semper timet.
Occurrere aerumnis dulce, praescire est grave.

Hec. O cara proles, pristinam mentem cape,
Depone laurus, gemma perlustret caput,
Serumque cultus vellere intextos gere:
Jam cecidit hostis: festus est Trojae dies.

Cass. Sacrum Minervae manibus adductum tremo,
Dextramque juvenis, regius spargit cruor.
Horrenda cerno. Troja bis Priami nurum
Veneratur unam, solvit et natus patrem
Quodcumque timuit. Sidere haud uno regit
Nos nauta. Solus judicis locus est feri.

Priam. Placate Superos: colla caedantur jugi
Ignara tauri: thure sacrato Deos
Tandem faventes colite, et ante aras vigil
Persistet ignis: laetus est urbi dies.

CHORUS TROJANORUM

Jupiter caeli dominator alti
Dardanas tandem meliore fato
Despicis gentes. Manibus Deorum
Quicquid est structum, genitor tueris.
Traxit ingentes lyra pulsa cautes;
Cadmus externa comitante vacca
Victor armatas metuens cohortes
Semine ex tanto retinens sodales
Struxit et Thebas simili labore.
Concidit postquam venerandus Hector,
Mille quem Grajae timuere puppes,
Affuit semper dolor omnis urbi;
Thessali caedes reprimet dolores
Sed ducis, laeto vaga turba vultu
Regios testis colit et penates.
Quisquis adversis premiturque fato,
Infimas ponti rate vidit undas
Stratus et vultu lacrimat gementi,
Deserat spem non timidus foventem.
Volvitur semper rota namque fati.
Nulla longaevi cecinit vetustas
Temporis sortem: relevat cadentes

Opprimens celsos metuenda colles:
Nulla tam caelum cecinit potestas,
Quae diu possit retinere vires.
Quisquis excelsis agitatus alis
Nititur summas penetrare nubes,
Ocyor telo cadit in profundum.
Igneo quicquid magis obstat ingens
Fulmini, saevo potius Tonantis
Sternitur ictu.
Sive fortuna regimur rotanti,
Sive tu mundum genitor gubernas,
Ista lex orbi datur aequa nostro:
Quisquis humano saturat cruore,
Caedis et dirae est truculentus auctor,
Parcit et nunquam furibundus ensi,
Sed juvat dextra rutilante terras
Sanguine externo maculare semper,
Concidet tandem sceleris magister.
Nemo tam fortis valet esse, quo non
Fortior assit.
Omnis exemplo sequitur luentes.
Quod nefas fecit, patitur cruentum.
Hospitum pinguem saturavit aulam
Sanguine Alcides rigidi tyranni,
Et gregem pavit Diomedis ultor
Proprio saevi jugulo ministri.
Hectorem stravit Thetidis superbus

Natus et gentes domuit feroces:
Sed Paris certo violentus arcu
Fixit hunc; testis necis est Apollo,
Diva, quam spernit sociale regnum.
Arbiter pomi rutilantis audax
Vindices spretae tribuit sagittas.

NUNCIUS ET CHORUS GRAECORUM

NUNC. Quis me cruentus nuntium casus gerit?
Quis me in profundo tartari volvet specu?
Favensque visu merget oceano gravem?
Quis fervor Aetnae spiritu saevo calens
Flammante vultus obruet nostros coma?
Graviora vidi: Caucasus caeli premens
Furtum rigenti vertice huic levis est malo.
CHOR. Hymenaea vultus equidem talis negat;
Sed pande quicquid pectore arcano est novi.
NUNC. Haec ipsa celeri causa me vexit gradu.
CHOR. Effare, sed cur induit pallor genas?
NUNC. En trepidus horror languido motu subit,
Geluque victus torpet in fibris cruor;
Imago tanti sceleris in faciem redit.
CHOR. Pervince quicquid prohibet, atque animum aggravat.
NUNC. Horrore sceleris lingua prohibetur loqui.
CHOR. Licet ipse condas, veritas semper patet,
Facinusque nullum durat occultum diu.
NUNC. Te, fulminantis sceptrum qui gestas poli,
Et qui per altas lumen extendis plagas,

Et qui tridente cingis humanas tuo
Testor catervas, concidit regum decus,
Et mille robur puppis Argolicae inclytum,
Orbamque Thetidem saevus hic fecit dies.

CHOR. Quis moestus aures percutit nostras sonus?

NUNC. O clare Titan, cladibus tantis, potes
Per summa caeli spatia lucifero diem
Gestare curru? Majus hoc certe est nefas
Epulo Thyestis, merge sed sero caput:
Scelus hoc tremisco, deserit corpus vigor.

CHOR. Effare mortis ordinem, aerumnas juvat
Audire miseros: nulla celetur lues.

NUNC. Procul a Pelasgo ereptus est postquam foro,
Et mille Achilles inclytus liquit rates;
Non arma sumpsit, qualis hic fictus tumens
Invasit acies: pectoris saevos clepens
Ictus vacavit: nulla vibrata est manu
Armata verticem hasta; nec texit caput
Fidele tegmen: membra complexus negant
Inducere tutos, solus est lateri comes
Receptus ensis: turba non sequitur ducem
Animosa ferro; qualis hymenaeum decet
Hic templa quaerit. Thetidis et Pelei nurum,
Thalamosque claros regiae stirpis, putat
Celebrare Trojam: callidi fictor doli
Simulante vultu Thessalo perstat duci.
Decipere amantes facile: si semper vagas

Pulsare syrtes, puppe si fracta horridum
Sulcare pontum, sidera et caelum aggredi
Amor imperaret, nullus obstaret pavor:
Superare novit Caelites, viros, feras.
Ut saeva fulsit Dardani Phoebi domus,
Peleus cacumen vidit; hic velox gradum
Tum concitabat. Astra vergebant ducis
Horrenda fata, miserant summum diem:
Namque in potentes astra jus magnum tenent:
In fata properat quilibet libens sua.
Ecce, ecce tetigit liminis sacri fores;
Nunc thure flamma pinguis ante aras micat;
Non est sacerdos more Dardanio colens
Secreta Divum. Nullus aspicitur gregis
Rector ferocis taurus, immunis jugi
Sparsurus aras. Dux stupet, tandem subit:
Tunc patuit omnis fraudis Iliacae dolus.
Armigera utrumque cinxit en latus cohors,
Quos inter omnes summus emicuit Paris.
Quicumque Achillis Hectorem laudi canit,
Urbesque fusas impetu tantum suo,
Parum arma novit atque virtutem ducis;
Hic nempe vires summus explicuit dies;
Non ille pavidus supplici vitam genu
Tot inter arma quaerit, et victus jacet;
Sed fortis iras pectore ex toto capit:
Qualis feroces Lybicus extendit leo

Animos et altas concutit fervens jubas
Cum cernit hostes. Obvius ferri minas
Poscit; timere puduit, et virtus malis
Erigitur ingens: prospero fortes loco
Celantur animi; adversa virtutem probant.
Delubra sonitu bellico tota obstrepunt.
Fremuntque galeae; solus hic centum ferit,
Et mille solum tela non vulnus gerunt,
Non fixa pendent. Quicquid emittunt, retro
Inane fertur: qualis impulsa cadit
Maris unda saxi. Dubia dum Martis labat
Sors, inquit, haec est prolis Assaraci fides?
Haec jura thalami? Pacis haec falsae quies?
Sed ante nostros cymba quam manes ferat
Multi nepotis nuncient vires avo,
Paremque servet manibus nostris locum.
Haec fatus ensem pariter in cunctos gerit
Humiles ac feroces; largus exundat cruor:
Jaculatur omnis tela, nec tantis sat est
Vulneribus unum pectus: o miserum diem!
Vix patitur animus horridum scelus eloqui.
Tandem subactus pronus Aeacides ruit,
Qualis regentem praemium rota afferens
Superata falsis axibus: cecidit tamen
Nec totus; astat genibus erectus potens.
Barbarica resonant vocibus templa horridis:
Non quaerit ultro bella, nec caedem invenit;

Satis est tueri, et ensis in clypei loco
Defendit ora: nullus est ferro aggredi
Vicinus audax; tela sed Paris manu
Sublimis aptans, inquit: i nunc, Thessalos,
Superbe, currus pondere Hectoreo preme:
Hac, hac sagitta, nulla te eripiat Thetis.
Haud dixit ultra; cornibus junctis, volat
Sagitta vulnus morte permixta ferens.
Ut ille sensit, languido vultu cadit,
Terramque fusus ore prostrato ferit:
Decus omne clari corporis telo perit;
Mutata facies pallet, et totum jacet
Humo cadaver: nullus est vulgo pudor,
Saturata nondum membra divellit manus:
Ubi regnat odium, spernitur pietas, fides.

CHORUS GRAECORUM

Ut Phoebum sequitur Soror,
Sic laetos animos dolor,
Dum clari renitent poli,
Et nimbis gravibus vacant,
Nec lucis tegitur nitor,
At solis radios capit
Mundi purpureos decor,
Auster nubifer advolat
Pulsus carcere saxeo,
Lucem protinus excutit
Obscurans nitidum jubar,
Caelum nubibus induit,
Sic non laeta virent, levis
Casus praecipitat rotae
Et luctus revehit. Diu
Non stant Numina prospera,
Nulla est in Superis fides.
Cum Phoebus gerit aureos
Currus loraque, dextera
Fulgenti resecans plagas
Caeli luciferas gerit,
Praeceps fertur et occidens

Invadit subitus, caput
Ac mergit pelago nitens,
Aufertur nitidus dies;
Noctis nuncius Hesperus
Obscurae exoritur prior,
Sic risus lacrimae vorant,
Et lucem tenebrae obtegunt.
Sit, quisquis cupiat, potens
Aula magnus, et inclyta
Et fortes acies ducum
Sublimisque tumens regat.
Plebeus satis est mihi
Cultus, me teneat casa.
Est felix locus infimus.
In glisca tenui cibus
Secure capitur: quies
Me parvis foveat laris.
Nam quicquid volat altius
Momento rapitur brevi.
Excelsus penetrans nimis
Alis Icarus aethera
Mandati patris immemor
Languens in pelagus ruit.
Phaeton, curribus arduis,
Indocta retinens manu
Phoebei juga ponderis,
Ustus fulmine concidit,

Fraternaeque soror necis.
Luctu cortice inhorruit.
Pelides genitus Dea,
Olim qui timor Ilios
Sublimis stetit inclyti,
Caesus templa rigat suo
Ferro sanguine Apollinis.
Paucos sicca duces trahit
Mors ad vincula Tartari.
Vivit sancta fides procul
Semper limine regio.

AGAMEMNON, MENELAUS ET CALCHAS

AGAM. Fortuna, gentes quae regis cunctas potens,
Titan calenti quas ferit primus rota,
Mergensque nitidum fessus Oceano diem;
Tu blanda nunquam ducibus Argolicis faves
Simul atque Phrygibus prospero vultu diu.
Inclytus Achilles bella dum plectro vacans
Torpente dira sperneret dulci manu,
Superabat Hector gentis Iliacae decus,
Obstare quisnam potuit? Haec dextra impotens
Armata facibus paene consumsit rates,
Quarum alta noster vela perflavit cruor;
Pavidus jacebat quisquis huc tutus pari
Furebat Hector; sanguine Argivo tumens
Iliaca pinguis Xanthus intravit freta.
Traxere postquam Thessalae Hectoreos rotae
Achillis artus ense prostratos fero
Pretiumque nati Priamus amittens dedit;
Vicere Achivi marte felici duces.
Sors aequa sed nunc caede geminata capit
Utrumque populum; natus hinc pelagi Dea,

Est Hector illinc. Concidit Paridis manu
Decus omne Graji nominis. Spes et fides
Periere templo. Pateris hoc Divum sator?
Cur cessat alto fulmen emissum polo?
Tonare decuit. Horridum impune est nefas?
En sacra Phoebi templa maculavit cruor:
Sed cur Tonantem fulmina ut mittat rogo?
Violata non sunt caede funesta Jovis,
Sed templa Phoebi; lucis o clarae arbiter,
Qui semper anni jura praecipitis tenes,
Pateris cruento scelere foedari tuas
Inultus aras? Certius sancta manu
Tendatur arcus, Paridem et Ilios pete,
Pythonis atras qualis infesti jubas
Olim petisti, tabe cum dira fluens
Sanguis, veneni spargeret nigri solum:
Vel cum parente, dextra contempta, furens
Aequante Niobes sterneret prolem Deis.

MEN. Germane, Danaum cujus imperio favent
Tot arma, prolis Tantali clarae decus,
Haud invocati punient scelus Dei,
Impune Superi non diu linquent nefas.

AGAM. Jam laesit ipsos Caelites Priami sator
Fidemque rupit: traxit ingentes chely
Ad saxa cautes Phoebus, et locum sibi
Fecere cantu; regna qui sorte ultima,
Primaque cessans Divus, aequora obtinet

Firmavit arces dextera intactas sua:
Caruit negato Numinum pretio labor;
Fraudemque gemino Laomedon struxit Deo,
Etiam sagittis, fluctibus, poena vacans.

MEN. Cur mille Superos vindices poscunt rates?
Extrema cogunt quaerere auxilium Deos:
Haec una superest, nulla cum superest salus.
Viget alta Danaum, prospero bello, cohors;
Hac dextra Paris vindice in poenas cadat.

AGAM. Accendit animos causa Pelidae tuos,
An causa thalami?

MEN. Me utraque in bellum trahit.

AGAM. Magis iste fervet pectore insano furor,
Repetis jugales, marte violento, faces,
Te solus urit conjugis raptae dolor.

MEN. Juste dolet, quicumque pro thalamo dolet.

AGAM. Proh! saeva fata, dura, truculenta, aspera,
Quod mille puppes sidus horrendum freta
Per tumida vexit. Graja mercedem petit
Quam marte tellus? Sanguine huc veni meo,
Thetidis recedam: causa quae belli datur.

MEN. Juste arma laesus conjuge abrepta movet.

AGAM. Clytemnestra veteres Tantali lares tenet.

MEN. Regem tueri regis ignoti interest.

AGAM. Infesta quicquid classis ancipiti petit
Vel marte detur, pacis et crescat quies;
Tot sparsa regum membra, tot Danaum rogos

Supplebit Helena? sanguine effuso leves
Haec una satis est premere titubantes rates?
Vigebit alto Tindaris solio potens;
Orbata lacrymas fundet aeterno Thetis,
Ithacique fraudem callidam semper gemet.

MEN. O vera, fateor, candidi proles Jovis
Tu prima Danaas causa movisti rates:
Nunc tota Achilli bella debentur? tibi
Detraxit odia Thessali caedes ducis:
Pugnabit ultrix Graja non pro te manus.

AGAM. Nos fata miseros undique infausta opprimunt.
Jacet ille cujus cecinit Argolicas Deus
Inserere arenae dextra si deest manus.
Quisve igitur ultor? Ilios nunquam ruet?

MEN. Calchas salutis lumen ostendet; sequar.

AGAM. Sospes ut Orestes vivat, et Calchas canat.

CALCH. Vox nostra regis sanguinem nullum petit.

AGAM. Effare.

CALCH. Et aras nullus asperget cruor.

AGAM. Exprome quicquid Phoebus Argivos docet.

CALCH. Generosa Achillis suppleat proles locum;
Hanc fata poscunt: juvenis hic Trojam obruet.

AGAM. Paterna Pyrrhus nobilis castra oppetet:
Sed moesta Danaum luctibus resonet cohors,
Et mille feriat interim clamor rates.

CHORUS GRAECORUM

Ad quos fletus fortuna vocat?
Heu! quo nostras lacrymasque vehit,
Lugere decet fortis Achille.
Feriant planctus mille carinas.
Sonet Idaeis vox nostra jugis;
Reddere fletus non satis echo est:
Findant gemitus aethera nostri.
Capiant gemini moesta Tonantes
Verbera planctu feriente chaos;
Perdant saevae fila sorores,
Metuat custos vallata gerens
Terga colubris; imique Jovis
Stupeat conjux; Alecto gravi
Pinumque metu furibunda sinat:
Linquat puppem, trepidante manu,
Pressus nostro clamore senex,
Fugiant proprios manesque locos,
Non Threicia resonante chely.
Tempus lacrymis manet aeternum.
Non laurigero vertice currus
In Thessalicas te ferret urbes,
Olim Hectoreo pondere pressus,

Et non Phrygii tua signa duces
Clara sequentur. Non thura Deis
Post tanta dabis praemia belli.
Nec Thessalicae tibi dona ferrent
Urbes: festos turba penates
Colet egregio plausura duci.
Non aurata clarus in aula
Leges populis et jura dabis.
Obvia nato non magna Thetis
Oscula fundet. Quid plura feram?
Te Troja cadet.
Sed te rigidi tenet ora Dei;
Virtus Stygios si petit amnes
Aut Elysio tutus in arvo
Felixque vires, si lethaeas
Non bibit undas; semper populi
Tua fata canent. Nunquam stabilis
Fortuna jaces: rota praecipiti
Humana vehit cursu fata:
Nihil in miseros fortuna potes,
Quae saeva tenes frena potentum.
Tu quae Stygias incolis umbras,
Saeva sororum graviore manu
Stamina versans, impia cujus
Dextera frangit quicquid Clotho
Lachesisque gerit, vertis nimium
Fata virorum properante colo.

Cunctos recipit cymba Charontis,
Vertere cursum nullique licet.
Cum lethaeos haustus tetigit,
Jura relicti negligit orbis,
Omnia carpit, Superumque fides
Impia nulli dextera parcit.
Qui sublimi nitet imperio
Fronte superba populosque regit
Rumpi metuit fila sororum.
Nullus tantis viribus audax,
Nullus tantis opibusque viret
Quem non rapiat furibunda manus.
O mors! cujus sorbet hiatus
Quicquid Phoebi gignit et auget
Calor auxilio, Neptune, tuo;
Quicquid Jovem naribus efflat;
Heu! quot properas metuenda modis.
Quid, cum vacuas liber in auras
Spiritus intrat, miserumque sinit
Funere truncum, corpus remanet
Nisi terra levis?
Nullique suum vitare licet
Quem fata diem summa dederunt:
Ponite vanas spes, solliciti:
Ponite timidi simul atque metus;
Fata gubernant mortale genus
Et prima dies ultima novit:

Quicquid gerimus sidera volvunt,
Cursusque poli mundana regunt;
Non ipse Deus mutare potest
Quicquid fatis nectitur altis.

ANTONII DE LUSCHIS DE VINCENTIA

TRAGOEDIA EXPLICIT ACHILLES

LAUS SIT DEO. AMEN.

VARIAE LECTIONES

QUAE EXTANT IN MANUSCRIPTO CODICE APUD MARCHIONEM VINCENTIUM GONZATUM A LUDOVICO SCHLEDO V. C. SAECULI XVIII. EXARATO, NEC NON IN EDITIONE MDCXXXVI. PATAVII IMPRESSA SUB NOMINE ALBERTINI MUSSATI.

pag.	*vers.*		
3	7	Nunc	Hinc (edit. 1636)
5	3	versat	vexat (MS. L. S.)
〃	22	ense	crine (MS. L. S.)
〃	24	Hecuba tu dormis parens . .	Hecuba tu dormis? pares (edit. 1636)
6	8	natura	natum (MS. L. S.)
〃	24	fides	fides? (MS. L. S.)
〃	25	vivens	manes (edit. 1636)
7	8	regia	regio (edit. 1636)
〃	20	nostras	nostri (edit. 1636)
9	1	Pandis	Paridis (MS. L. S.)
〃	6	Patret	Patriae (MS. L. S.)
10	13	conjunget	jungetur (edit. 1636 in marg.)
11	4	permittit	promittit (edit. 1636)
12	10	angustas, aerque, vias	angustas aer atque vias (edit. 1636)
13	11	secunda, Neptune, potens . .	secunda Neptune potens (MS. L. S., et edit. 1636)
〃	22	facem	faciem (MS. L. S.)
14	11	Trojam	Troja (MS. L. S., et edit. 1636)
〃	13	Deum	Divum (edit. 1636)
15	5	major falsa, quem	major, falsa quem (edit. 1636)
〃	13	Hic	Huc (edit. 1636 in marg.)
16	25	tum	tibi (MS. L. S., et edit. 1636)
18	20	obstit	obstitit (MS. L. S., et edit. 1636)
21	3	Et taurus spolii nomina litoris	Et tauri spoliis nomina litori (edit. 1636 in marg.)
〃	12	gemit	genuit (MS. L. S., et edit. 1636 in marg.)
23	17	crimine	omine (MS. L. S.)

25	12	I, gener	Ignifer (edit. 1636)
26	9	praescius	conscius (MS. L. S.)
28	2	cecinit	tetigit (MS. L. S., et edit. 1636)
»	20	assit	adsit (MS. L. S.)
32	11	ordinem, aerumnas juvat . .	ordinem et aerumnas, juvat (MS. L. S.)
»	16	clepens	clypeus (MS. L. S.)
33	18	utrumque.	utrinque (edit. 1636)
34	18	Humiles ac feroces	Humilem ac ferocem (MS. L. S., et edit. 1636)
36	13	non	cum (MS. L. S., et edit. 1636)
»	19	Currus loraque, dextera. . .	Currus, loraque dextera (MS. L. S., et edit. 1636)
»	21	gerit	regit (MS. L. S., et edit. 1636)
37	12	Plebeus.	Plebejus (edit. 1636)
»	15	In glisca	Inglisca (MS. L. S.) *forte* Glissa *quae* Lappa *est, nisi quis ejus loco* Disco, *vel* Mensa *legere malit* (edit. 1636)
39	10	consumsit.	consumpsit (MS. L. S., et edit. 1636)
»	12	quisquis huc	quisquis, hic (MS. L. S., et edit. 1636)
40	22	linquent	linquunt (MS. L. S., et edit. 1636)
42	10	te	me (edit. 1636)
43	15	lumen	limen (MS. L. S., et edit. 1636)
»	7	Findant.	Fundant (MS. L. S.)
»	13	gravi	gravem (MS. L. S.)
»	14	Pinumque metu	Primumque metum (MS. L. S.)
44	5	festos turba.	festos nec turba (MS. L. S., et edit. 1636)

124